



~~G. 1124~~
EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-57.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.

*Curavit compactionem Mart. Palaschowitz de
1495 die 9^{na} Octob.*

70
DE
VNCTIONE PONTIFICIS M.
HEBRAEORVM
PER CRUCEM

PRAESIDE
FRIDERICO IMMANVELE
SCHWARZIO

A. M. ET FACVLTATIS PHILOSOPHICAE ADIVNCTO
ORDINARIO

AD DIEM XXX. AVGVSTI MDCCLV

IN
AVDITORIO MAIORI

PVBELICE DISPVTABIT

IOANNES AVGVSTVS KVNERT

KRIBENSTEINIO - MISNICVS

SS. THEOL. STUDIOSVS



VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA

VICTORIE FORTIFICIS M.
HERBARIORVM
PTR. GRVCEM


FRIDERICO IMMANVELLE
SCHWARZIO

AD DIEM XIX MENSIS MARTII
ANNO DOMINI MDCCCLXXII

IOHANNES AUGUSTVS KUNERT

UNIVERSITÄT
LEIPZIG





I

IN VNIVERSA HEBRAEORVM REPVBLICA NEMO VNCTVS
EST OLEO SACRO, PRAETER REGEM, PONTIFICEM
MAXIMVM, ET FECIALEM.



QUAECUMQVAM in omni antiquitatis historia magna un-
ctionum esse soleat celebritas, nemo tamen est,
nisi et sacrarum et profanarum literarum experts,
qui nesciat, unctiones Hebraeorum sacras, par-
tim olei sacri, auctoritate Dei immortalis e le-
tissimis aromatum generibus compositi praestantia,
partim usu rarissimo ac sanctissimo, partim denique mirabili uirtute
sua, omnibus reliquarum gentium unguentis antecellere. Quanta enim
olei sacri dignitas, quantaque unctionis sacrae fuerit solemnitas, uel hoc
uno testimonio, abunde comprobatur, quod e praecipuorum gentis he-
braeae magistrorum sententia, praeter Pontificem M. sacerdotem fecia-
lem et Reges, nemini ea contigerit felicitas, ut oleo sacro ungerentur,
et ad munus suum rite capessendum inaugurarentur. Testis huius rei est
eruditissimus, qui omnem in peruestigandis exponendisque Hebraeorum an-



tiquitatibus operam posuit, R. Moſis ben MAIMON, qui in praestantissimo Hebraearum Antiquitatum systemate ita hanc in rem commentatus est: *)
 און מושחין ממנו לרורות אלא כהנים גדולים ומשוח
 מלחמה ומלכי בית דוד. *Non ungebant ex eo quemquam in saecula
 praeter pontifices M.M. unctum belli, et reges domus Davidicae.*


E quibus uerbis summam huius rei dignitatem, nec non sanctitatem iudicari posse existimauimus. Quo magis miramur partim antiquissimorum Hebraeorum in ritu hoc solemnissimo accuratius, et, quod rei dignitas postulare uidebatur, solidius describendo negligentiam, partim etiam saeculi nostri in contemnenda huius ritus, tanquam rei, quae nullius sit momenti, uberiori cognitione ac peruestigatione insolentiam. Nec omnino a sanctiorum literarum studio remotum putauimus, post egregios summorum uirorum labores in interpretatione ritus antiquissimi, collocatos, si quaedam ex eorum scriptis repeteremus, quaedam modeste sub examen reuocaremus, et nonnihil ad pleniorum totius rei historiam adderemus.

II

NEC AD OMNES REGES PERTINUIT VNCTIO OLEO
 SACRO PERAGENDA, NEC IN IIS, AD QVOS
 PERTINUIT, OMNIBVS PERACTA EST

MEMORABILIS est historia de summo pretio, in quo habitum est oleum sacrum inter ueteres Hebraeos. Idque partim e sanctitatis gradu, quem tenuit inter ipsos oleum sacrum, partim ex usu illius perraro efficitur. Grauius peccatum ignorat gens Hebraea, quam illud, quod solebat ultimo uindicari supplicio, כריתות i. e. *exciso animarum*, dicto. Talia triginta sex e codice sacro collegit et coniunctim enumerauit insignis Hebraeorum in conscribendo systemate iuris uniuersi tam sacri quam ciuilibus diligen-

*) הלכות כלי המקדש Cap. I. p. 455. editionis Venerae maioris 1678.



tia, in codice, qui inscribitur כריתות *de poenis excidii* ^{a)} **QVINDECIM** crimina circa ueritum concubigum, et illegitimum matrimonium admiffa legibus poenae illius subiiciuntur. Et, quod miraberis, inter illa crimina id quoque refertur a Iudaeis, quod fequiori aetate et impune tolerari, imo permitti et copiofius defendi dolemus. **QVATVOR** leges ibi expofitae frena iniiciunt blaſphemiae, et idololatriae. **SEPTENDECIM** extremae iura cultus leuitici fingularia defendunt, et in his duae exhibentur leges de oleo ſacro, quarum altera exponit de compoſitione, altera de profano illius uſu. *Lex XXXII.* haec eſt: **הַמִּפְטֵם אֶת הַשֶּׁמֶן** *Conficiens oleum*, ſcil. poenam exciſionis luet. Verba, quae excitaui-
 mus, de oleo ſacro unctio-
 nis exponere, teſtis eſt conſenſus Doctorem
 Gemaricorum cum duobus celeberrimis Miſchnae interpretibus **BARTENORA**
 et **MAIMONIDE**. Expoſitionem **GEMARAE** paucis habe: **תָּרַח הַמִּפְטֵם**
אֶת הַשֶּׁמֶן לְלַמֵּד בּוֹ לְמוֹסְרוֹ לְצִיּוּר פְּטוֹר לְסוֹךְ חַיִּיב
וְהִסָּר מִמֶּנּוּ פְּטוֹר לְפִי שְׂאִין חַיִּיבִין אֵלֶּה עַל סִיכָן שֶׁמֶן
הַמִּשְׁחָה שֶׁעָשָׂה מֹשֶׁה *Tradunt Doctores noſtri: Conficiens oleum eum*
in ſinem, ut diſcat in eo, et tradere poſſit publice compoſitionem eius, immunis
eſt; ſi uero eum in ſuam, ut unctio per illud peragatur, reus eſt. Qui ſe cum
*eo ungit, liber eſt, nam non ſunt rei, niſi propter unctio-
 nem cum oleo unctio-
 nis, quod fecit Moſes.* **MAIMONIDES** ^{b)} in commentario ſuo in hunc locum:

A 3

משה

^{a)} Cap. I. §. I.

^{b)} In editione Miſchnae Tridentina 1560. f. rariffima f. 378. c. b. Ex-
 tat illa in Bibliotheca Daſſouiana,
 e qua pleraque in egregium opus
Historiae Hebraeae, et *indicis Historiae*
Hebraeae tranſtulit **DASSOVIVS** b.
 defunctus, qui uerba haec in ipſo
 hoc codice ſcripta reliquit: *In hac*
editione omnia allegata ex Maimonide

et *Barrenora* in *Miſchnaioth* inueniun-
 tur, quae in indice meo *historico* oc-
 currunt, adeoque haec editio probe cu-
 ſtodiri debet. Inicitur in his **DASSO-**
VII uerbis mentio *indicis historici*,
 de quo nuper in elegantiffimis *me-*
moriis literariis Hamburgeniſibus quae-
 ſtio mota eſt, numne uerior huius
 operis titulus ſit: *Historia Hebraea?*
 Cum igitur ab *Alma Academia no-*

והמפטם השמן הוא שיעשה שמן המשחה כמו שעשאו משה
 רבינו במדבר באוהו המשקלים ממש שנ' כמורה ואם עשה
 אותו כדרי שלימור מעשהו או לתת אותו לזולתו אינו חייב
Conficiens oleum, כרת עד שתהיה כונתו במעשהו למשחה בו.
 de quo hic sermo est, *ille est, qui facit oleum unktionis, sicut fecit illud Moses,*
Magister noster in deserto, secundum eandem mensuram solide, quia dicitur in
S. S. כמורה sicut illud (Exod. XXX, 32.) Atque si facit illud ideo, ut
discat praeparationem illius, aut, ut dare possit alii, non est reus excidii, usque
dum sit intentio eius in praeparatione illius, ut ungat se cum illo. R. OBADIA
 de BARTENORA in eundem locum: והמפטם את השמן המשחה
 במשקל סממנים ובמדת השמן כמו שעשאו משה במדבר
 והוא שיעשנו לסוך בו אכל המפטמו לתלמד או למסרו
Conficiens oleum unktionis secundum pondus aromatum,
et secundum mensuram olei, sicut Moses fecit illud in deserto; Et hic quidem,
qui facit illud, se ut ungat eo, scil. reus est excidii; sed qui conficit illud, ut
discat aut tradat illud alii, non est reus. Haec de compositione olei sancti
 interdicta. Alterum huius rei momentum, quo in maximam sanctitatem
 sacrum oleum uindicari potest, illud esse, ex eodem loco intelligimus, quod
 non solum noua illius olei compositio, sed etiam istius, quod ab ipso Mose
 praeparatum erat, usus illegitimus excidii poena dignus iudicetur. Loco
 enim tricesimo quarto enumerant, excidii poenam statui in **הסך בשמן**
המשחה,

bis inde a quatuor, et quod excur-
 rit, annis manus Bibliothecarii be-
 neuolentissime sit demandatum, no-
 strum esse duximus, ad hanc quae-
 stionem publice respondere: Di-
 uersum opus esse *Historiam Hebrae-*
am, ab illo, quod inscribitur: *In-*
dex Historiae Hebraeae Pius conti-

net *Antiquitates Hebraeae*, ordine
 systematico conscriptas, octo, ut
 dicitur, Alphabetis in folio; poste-
 rius exhibet uoces praecipuas in
Historia Hebraea occurrentes, or-
 dine alphabetico dispositas, quatuor
 Alphabetis in quarto.

המִשְׁחָה, *ungentem se ipsum oleo unktionis.* MAIMONIDES uerba Mischnae de oleo tantum eo interpretatus est, quod auctorem habuit MOSEN: והסך השמן המשחה ר"ל שעשה משה בלכר והוא שאמרו אין חייבים אלף על סיכה שמן המשחה שעשה משה בלכר לפי שנא' ואשר יתן ממנו על זר רומז על מה שעשה משה ורע שלא נעשה ממנו לעולם ולא יעשה אלא מה שעשה משה שנאמר יהיה זה לרורותיכם כן קבלנו. *Et ungens se oleo unktionis, uult dicere: illo, quod fecit Moses in solitudine; et hoc est, quod dixerunt: Non sunt rei, nisi ob unktionem per oleum unktionis, quod fecit Moses in deserto, secundum id, quod dicitur: et qui dederit de eo super peregrino, (Exod. XXX, 33.) intellige de eo, quod fecit Moses. Et scias, quod non fieri possit de illo in aeternum, neque fiet, quod fecit Moses, quia dicitur: erit hoc pro generationibus uestris. (Exod. XXX, 31.) Sic accepimus.*

Quae omnia satis demonstrant, quam egregia Hebraeorum de insigni huius olei praestantia, et antiquissimis et recentioribus temporibus, fuerit sententia, quae fide nostra tanto est dignior, quanto grauior est sacrarum literarum auctoritas a scriptoribus Hebraeis in partes suas uocata. Iungas his Hebraeorum pro ueritate illius rei excitatis testimoniis illud etiam, quod haud unicuique ex regibus Israelis tantum honoris tribui solitum fuerit, ut hac solemnitate regia rempublicam capefferent. Auctores sunt Hebraeorum magistri, neminem inter Israelitarum reges unktionis ritu inauguratum fuisse, nisi e stirpe Dauidica oriundum; nec omnes sanguine Dauidico cretos, dum reges renunciati fuerint, ornatos fuisse oleo affuso, nisi oborta ob iura successione alterius regis in alterius locum controuersia. Euocabimus et huius sententiae testem doctissimum MAIMONIDEM, qui in commentario in tractatum Mischnicum antea allatum, ritum istum hoc modo persequitur: מלכי בית דוד בלכר מותר למשחה בשמן המשחה ויש בשמן

כזה חלוק והוא שרוד עליו השלום לפי שנמשח בשמן המשחה היה ראוי למלוכה וכמו שהעירו לו הפסוקי' וכל בניו אחריו אע"פ שלא נמשחו בשמן המשחה ואמרו מלך שאין מושחין מלך בר דאם' קרא למען יאריך ימים על ממלכתו הוא ובניו מלמד שהמלוכה ירושה הוא לבנים אבל אם נודמן שתהא קטטה ומריבה בין בני דוד על איזה מהם ימלוד הזה או זה וא"חכ הסכימו על א' מהם או שנגררו אחריו הרוב או מינחו סנהדרין' או נביא אז כהן גדול באיזה צד שיודמן לעלות המלוכה ביד א' מהם הרי זה נמש' בשמן המשחה לסלק חמריבה ולהסוי' המחלוק' מן ההמון כדי שידעו שזהו משיח ויראו מפניו.

*Regum domus Davidis solummodo haec est excellentia, ut unctantur oleo unctio-
nis; quod fit secundum hanc distinctionem, quod Dauides, super quem fit pax,
cum unctus esset oleo unctiois, aptus fuerit ad regnum, id quod testatur scri-
ptura, cum omnibus filiis suis post ipsum, quamvis non fuerint uncti oleo
unctiois. Et dixerunt: unde nobis constat, quod non unxerint regem, filium
regis? Inde, quia dicit Scriptura: ut protrahat dies super regnum suum ille et
filii eius, (Deut. XVII, 10.) ut indicetur, quod fit regnum haereditarium filiis.
Verum, si accidit, ut oriatur contentio et rixatio inter filios Davidis propterea,
utrum hic ex illis regnare debeat, an ille, dicunt sapientes, consentiunt de uno
ex illis, siue conuenerit de illo inter multitudinem populi, siue designauerit illum
Synedrium, siue propheta, siue Pontifex M. quocumque demum accidat modo,
ut capessatur regnum ab uno illorum, ecce ille ungitur oleo unctiois, ad tollen-
dam contentionem, et remouendam dissensionem vulgi, ut sciant omnes, quod hic
fit unctus, et timeant eum. Ut etiam hac in parte constet de consensu Docto-
rum e gente Hebraea, addidimus OBADIAE de BARTENORA suffragium:
וממנו מושחין מלך בר דאם' מלכי בית דוד ואין מושחין מלך בר דאם'
אם לא היה שם מחלוקה כמו שמשחו שלמה מפני מחלוקתו
של אדוניו ויואש מפני מחלוקתו של עתליתו ויהואחז
מפני יהויקים אחיו שהיה גדול ממנו. Et de eo unguunt reges
domus*



domus Davidis; sed non unguunt regem, filium regis, nisi ubi fuerit dissenso, sicut e. c. unxerunt Salomonem propter disensionem Adoniae, Ioasum propter disensionem Ataliae, et Ioahasum propter Ioiakimum, fratrem suum natu maiorem.

At enim uero cum partim historia sacra exponat, partim IOSEPHVS, alique rerum Hebraearum scriptores, iterum iterumque testentur, alios quoque, praeter reges e gente Dauidica prognatos, sub auspiciis regni sui unctos fuisse, haud ignobilis est quaestio inter eruditos Hebraeos, quonam hi oleo uncti fuerint? Mirifice in componenda hac quaestione consentiunt Hebraei, qui docent, unctum fuisse regem illum אפרסיומן opobalsamo. Otium nobis fecit in colligendis monumentis id confirmantibus GVILIELMVS SCHICKARDVS in *Iure Regio Hebraeorum*,^{e)} cui aliquid addere foret difficultimum. His itaque ex rei dignitate, et pretii, in quo haberi solebat oleum unctionis sacrum, grauitate perpensis, nemo est, quin intelligat, quanta fuerit Pontificis M. dignitas, ac tantum huic habitum esse honoris, quantum praeter reges e gente Dauidica, nec hos quidem omnes, tributum est nemini.

III

FECIALIS, SIVE SACERDOS AD BELLVM VNCTVS, HAVD
FVIT PERPETVVS, SED BELLO INDICTO LECTVS
EST ET VNCTVS

MAGNO intelligentium, doctissimorum scilicet Hebraeorum, consensu summa fuisse perhibetur auctoritas et dignitas Patris patrari Hebraeorum, siue principis sacerdotis, ad obeunda in bello sacra constituti. Dicitur ille solemniter inter Hebraeos nomine, משוח מלחמה unctus belli, i. e. sacerdos ad bellum unctus. Is sub belli initium e sacerdotibus legebatur, et ut

e) Theorem. IV. Capitis I. p. 78. seq.

nihil



nihil non ualeret apud populum auctoritate, oleo unctionis sacro perfunde-
batur. *Rein omnem enarrabimus ex MAIMONIDE, qui in tractatu de*
Regibus et bellis ^{a)} copiose eam exposuit: אחר מלחמת מצוה ואחר
מלחמת הרשות ממנו כהן לרבר אל העם בשעת המלחמה
ומושחין אותו בשמן המשחה וזהו הנקרא משוח מלחמה
Tam ad bellum ex lege diuina suscipiendum, quam ad bellum arbitrarium, consti-
tuebant sacerdotem, qui uerba faceret ad populum tempore belli, et ungebant
eum oleo unctionis; hic est, qui uocatur unctus belli. Verba MAIMONIDIS
utriusque Talmudis, et Hierosolymitani et Babylonici, auctoritate confir-
mantur, in libro de uxore adulterii suspecta, octauo capite. Tantum igitur
ille auctoritate ualuit, quantum ipse Pontifex M. a quo primum ille
tenuit locum. Vtriusque enim uiri, Pontificis M. et Patris patriati, dignita-
tem inter se contulit, et per omnia sibi esse simillimam erudite docuit egre-
gius Antiquitatum Hebraearum interpres MOSES MIKKOTZI in ספר
i. e. libro *praeceptorum magno*, ^{b)} גרול אלמנה ונרשה וחללה זונה את אלה לא
שכאמר בפרשת אמר אלמנה ונרשה וחללה זונה את אלה לא
יקח ושנינו בפרק הבא אל יכמתו כהן גדול לא ישא את
האלמנה בין מן הארוסין בין מן הנשואין וכהן גדול הוא
בין נמשח בשמן המשחה בין מרובה בגדים ואם משוח
מלחמה בדתנינו בהוריות פרק אחרון הכהן הגדול
מאחיו זה כהן גדול שנמשח אשר יוצק על ראשו בשמן
המשחה זה משוח מלחמה ומלא את ידיו ללבוש את
הבגדים זה מרובה בגדים על כלם הוא אומר אחר כן
את ראשו לא יפדע ונמר ואלמנה ונרשה וחללה זונה
את אלה לא יקח ותניא וכולן איז כוהגין במשוח מלחמה
חוק מה דברים האמורים בפרשה ואלו הן לא פורע ולא
פורם ואין מטא אל הקרובים ומצווה על הבתולה ואסור באלמנה

Haud

Cap. VII. §. 1. in *Iad Masakah* 1550. apud *Bragadinos.*

Parre II. f. 761. b. edit. mai. *Veyot.* b) *Hilchor. Issure Priah* f. 42. c.



Haud ducere debuit P. M. uiduam, sicut dicitur in Parascha^{d)}, citata, uiduam, repudiatam, uitiatam, et meretricem, illas haud ducat, et discimus e capite^{e)}, cuius est initium: ueniens ad leuiram suam: P. M. non ducat, uiduam, siue fuerit ex desponsatione, siue ex matrimonio uidua; Et hic intelligitur, P. M. siue unctus fuerit oleo unctionis, siue inauguratus sit uestibus. Item unctus belli, sicut est traditio in Codice de Iudicum, documentis, Capite extremo: et hic est P. M. inter fratres suos, siue ille sit P. M. unctus, in cuius capite effusum est oleum unctionis, siue sit unctus belli; De quo uero dicitur: imple manus eius, ut induatur uestibus; hic est ille, qui dici solet, P. M. inauguratus uestibus. De omnibus illis dicitur deinceps: Caput suum non abradat^{e)} et reliqua; uiduam, repudiatam, uitiatam, et meretricem non ducat; et traditio est, non omnia conueniunt uncto belli, praeter has quinque res, quae enumerantur in Parascha, haec scilicet: caput non abradat, uestimenta non discindat, non polluat super propinquis mortuis, praeceptum habet de uirgine ducenda, et interdictum de uidua. Cum igitur tanta inter Pontificem M. et unctum belli intercederet similitudo, nemo superior habitus est Patre patrato Hebraeorum, quam solus P. M. atque ob olei dignitatem maximam maior fuit unctus belli ipso Pontificis M. uicario, quod ex Hebraeorum magistris exposuit Io. CHRISTOPHOR. WAGENSEILIVS in Commentario in SOTAM. ^{f)} Quanquam igitur e praecipua, quae inter Pontificem M. et Patrem patratum intercessit, conuenientia satis ampla fuisse uideatur dignitas feccialis, ad bellum uncti, maior tamen, quam ex his, quae discernimus, credi poterat, statuetur, si intellexeris, in re summi momenti solum pontificem, qui ob ortas belli calamitates unctus fuerat, eodem loco, quo Rex, et Princeps synedrii magni, habitum fuisse. Celebratissima fuit Deum consulendi ratio per Yrim et Thummim, quod tantum abest, ut credamus, aliquid materiale ab ipsis

B 2

e) *Leuit. XXI, 12.*

e) *Leuit. X, 6.*

d) *Mischnah in Iebamot Cap. VI. §. 4.*

f) *Cap. VIII. §. 1. p. 842.*



lapidibus diuersum fuisse, ut potius contendamus, Vrim ac Thummim denotare lapides, in pectorali P. M. dispositos, *lucidos ac solidos*, quae summa lapidum uirtus, et maxima fuit praestantia, idque haud leui argumentorum robore adstruit. Ante enim, quam lapides isti caesi essent atque exsculpi, nunquam occurrit appellatio Vrim ac Thummim, quod fieri poterat, si materiale quid ac diuersum fuisset a lapidibus. Pectorale, quo indurus esse debuit P. M. si oraculo dignus haberi uellet, una cum lapidibus sine mentione Vrim ac Thummim iniecta memoratur *Exod. XXVIII, 30.* Idem denique pectorale cum Vrim et Thummim, omissa lapidum mentione, describitur in historia inaugurationis solemnissimae Pontificis M. *Leuit. VIII, 8.* E quibus id effici posse credo, appellationem lapidum atque Vrim ac Thummim ex consueto Scripturae S. sermone perinde haberi, alterumque in alterius locum substitui posse. Ad quae omnia et hoc uel maxime accedit, quod in omni scriptura Mosaica ratio conficiendi Vrim ac Thummim sigillarim haud exponatur, quod procul dubio accidisset, si materiale quicquam a lapidibus diuersum fuisset. Admodum enim sollicita fuit cura Mosis in enarranda minimarum partium historia, quae maiori, quam in reliquis, iure in hac parte describenda postulari posse uidebatur. Facilior sanctiorque est sententia, qua creditur, Vrim ac Thummim, siue lapides pretiosos in pectorali P. M. digestos, uirtutem suam non ex re quadam materiali, nec aliunde, quam a promissione singulari Spiritus S. habuisse, quae gratiam per oracula manifestandam Pontifici M. sacro pectorali induto, clementissime pollicebatur, quoad illud sanctissime custodiretur. Quo autem amisso deesse quoque coepit gratia Dei, per edita oracula manifestari solita. Declarabatur uero sanctissima Numinis uoluntas Pontifici M. nequaquam rogatu cuiusuis e plebe hominis, sed tantummodo ex precibus Regis, Praefidis, totiusque Synedrii M. et sacerdotis ad bellum uncti. Admodum perspicua sunt Hebraeorum uerba

uerba in libro Mischnico, qui dicitur *Ioma*:^{g)} אין נשאלין כאורים ותומים להריות אלא למלך ולבית דין ולמי שהצבור צריך בו. *Non quaerunt de quouis homine plebeio, sed tantum de rege, Synedrio M. et illo, quo opus habet ecclesia.* Quis sit ille, quo opus habet ecclesia, cognoscens e uerbis GEMARAE: אמר רבי אבהו ראמר קרא ולפני אלעזר הכהן יעמר ושאל לו במשפט האורים ונו' הוא זה מלך וכל ישראל אתו זה משוח מלחמה וכל העדה זו סנהדרון. Dicit R. Abhu, quod dicit S. S. *Num. XXVII, 21.* et coram Eleasare Pontifice stabit, et quaeret ex eo per modum *Vrim ac Thummim etc. qui dicitur: hic, est Rex, quae sequuntur uerba:* et omnis Israel cum eo, *significant unctum belli, et uerba postrema:* et omnis congregatio, *inducant synedrium M.* Id quod a MAIMONIDE atque BARTENORA in utriusque commentario in hunc locum confirmatur. Munus Sacerdotis ad bellum uncti duabus potissimum partibus absoluebatur, altera, ut sacris in bello obeundis praeesset, altera uero, ut partim sub initio belli omnes ex uniuerso exercitu euocaret, qui legibus diuinis ab aerumnis belli erant immunes, et de iustitia belli suscepti populum conuinceret, partim uero, ut utriusque exercitus acie iam instructa animum bellantibus excitaret, rationibus tum ex praesentia Numinis, quam e iustitia causae, quam denique ex uariis exemplis atrocissimorum hostium misere pereuntium petitis. Omnia oratione hebraea persequebatur, quam ille primo loco alta pronuntiabat uoce, et reliqui sacerdotes, imperio Facialis uncti illius subiecti, per singulas cohortes intensa uoce repetebant. Copiose id exposuit, et uerba totius orationis literis consignauit auctor Sotae in Mischna tam Hierosolymitana, quam Babylonica. MAIMONIDES uero omnia plenius, et maiori, ut solet, elegantia ritus illius historiam pertractauit, in libro de regibus et bellis,^{h)} quae latine expressit MELCHIOR LEYDEKKER in *Republica Hebraeorum.* ⁱ⁾

B 3

IV

g) Cap. VII. §. 5.

h) Cap. VII. §. 2. f. 761. b.

i) Libri VII. Cap. XIII. p. 491. 492. Tom. I.



SVMMI PONTIFICIS FILIVS NATV MAXIMVS AVCTORITATE
PVBLICA, E SVCCESIONIS LEGE, AB IPSO PARENTE,
SENIO LABORIBVSQVE CONFECTO, VNCTIONIS RITV
AD SVMMAM PONTIFICIS M. DIGNITATEM
EVECTVS EST.

DIFFICILLIMA est quaestio, nec ullo, in tanta Hebraeorum incuria ac negligentia, quam in describendo hoc ritu manifeste prodi dolemus, difficillimo licet negotio diiudicanda, quisnam inter Hebraeorum sacerdotes unctio- nis ritum in Pontifice M. recens constituendo peregerit. De aucto- ritate, qua unctus fuit, nullum est dubium. Grauibus quidem ex historia sacra et Iudaica confirmatur rationibus, Pontificem M. auctoritate diuina, ac publica senatus populique Hebraei, olei sacri unctio- ne exornatum fuisse. Habetur enim non solum praeceptum diuinum de conficiendo oleo unctio- nis sacro *Exod. XXX, 23. 24. 25.* sed etiam de usu illius sanctissimo, qui unctio- ne uasorum sacrorum, quae nunquam repetita, et Pontificis M. quae semper, filio in locum patris succedente, peracta est, absoluebatur, idque e loco *Exod. XXIX, 7.* intelligitur. Auctoritate publica senatus populique Hebraici ungi debuisse Pontificem M. inde constat, quod non solum P. M. Synedrii M. potestati subiectus, sed etiam populi ac synedrii legatus habitus fuerit. Testimonium huic rei perhibent inuicissimum uerba doctissimorum Hebraeorum in Codice IOMA: *) מסרו את כהן גדול זקנו בית דין לזקנו כהונה בית אבטונס לעליות והעלוהו והשביעוהו ונפטרו והלכו להם ואומרום לו אישי כהן גדול אנו שלוחי בית דין ואתה שלוחינו ושליח בית דין משביעין אנו עליך במי ששיכז את שמו בבית הזה שלא תשנה דבר מכל מה שאמרנו לך הוא פורש ובוכה והן פורשים ובוכים. *Seniores synedrii M. tradebant eum senioribus sacerdotii (ut eum docerent modum*

*) Cap. I. §. 5.

modum conficiendi pugillum sufficit, difficillimam ministerii partem) qui eum ad oratorium domus Abrines ducebant. Adiuabant eum, et cum absol- uissent, idant seorsim, et quisvis eorum sigillatim illi dixit: Pontifex Maxime, nos sumus legati synedrii M. et tu es legatus noster, ac legatus synedrii M. Adiuamus nos te per eum, qui habitare fecit nomen suum in hoc templo, quod nolis mutare quicquam ex omnibus, quae diximus tibi; tum ille segregabat se ab his, et fiebat, et hi segregabant se ab illo, et fiebant. Haec ut sint uerissima, dubium tamen incertumque uidetur, penes quem fuerit ius unguendi Pontificem M. Silentio hanc praetereunt quaestionem e ueteri atque recentiori aetate tantum non omnes. Haud incommode uidetur affirmari posse, filium Pontificis M. natu maximum, siue eum, qui hunc proxima cognatione attingebat, ab ipso parente, spe diuturnioris uitae abiecta, oleo sacro unctum fuisse. ^{b)} Eamque sententiam primum statim exemplum succedentis filii in locum morituri parentis confirmat. Inauguratur enim Eleasar a Mose, uiuo adhuc Aarone, uestibus sacris, Aaroni detractis. ^{c)} Quo facto decessit Aaron, nec unctionis mentio iniicitur, quae, cum necessario peragi debuerit, ab ipso parente in filio, Stola pontificali iam induto, perfecta uidetur, quae tanquam res certa ac per se nota in historia sacra omit- titur. Oleum sacrum solius Pontificis M. curae fuit concredendum, ab coque sanctissime custoditum, quare nemini tutius, neminique commodius, unctio peragenda tribuitur, quam ipsi Pontifici. Digniusque a nemine perfici poterat unctio sacra, quam ab eo, qui ob dignitatem ab olei sacri unctio- ne impetratam maxime erat conspicuus. Nec conditio filii, a parente uncti, indigna oleo sacro haberi poterat, cum ex mente doctissimorum Hebraeo- rum inter uirtutes Pontificis M. constituendi relatum fuerit, ut Pontifice

seniore

b) Teste MAIMONIDE Commentario in
 Codicem כריתות Cap. I. Hoc
 oleo duntaxat Pontifices MM. ungo-

bantur, et sacerdos, qui Pontificis M.
 filius erat.

c) Num. XX, 27. 28.



seniore adhuc uiuo dignitate *Saganis*, siue summi antistitis, auctus esset. Nec obstat quicquam, quo minus fidem habeamus assertioni doctissimi auctoris libri *Aruch*, qui contendit: ^{d)} לָא הִיָּה מִתַּמְנָה בְּכֹהֵנָה גְּרוּלָה עַר שֶׁהוּא כַעֲשֶׂה סֵגָן. *Nemo praeparabatur ad sacerdotium magnum, nisi cum factus esset Sagan.* Quae sententia ne omni eruditorum suffragio destitui uideatur, afferamus uerba e doctissimo *Scaccho* petita, qui cum antea multa coniectura assequi studuisset, quis ritum unctionis in P. M. peregerit, tandem sic colligit: ^{e)} *Quamobrem, quod summus sacerdos adhuc uiuens, antequam moreretur, filium sibi successorem designaret, ipsumque consecraret, nec incongruum nec absouum apparet.*

V.

P. M. OLEO VNCTVS FVIT RVBICVNDQ.

OLEVM, quod sanctissimo usui unctionis Pontificis M. olim inseruiit, omnium fuisse praestantissimum, ex summo pretio aromatum lectissimorum, quae ad illud conficiendum adhibita fuerunt, facillimo negotio doceri posset, nisi actum agere uideremur, si id, quod res ipsa loquitur, ac omnibus doctissimorum uirosum sententiis euictum est atque comprobatum, denuo multo argumentorum apparatu uellemus demonstrare. Igitur hoc mittimus, ac de colore olei sanctissimi in praesentia solliciti sumus, quem rubicundum fuisse contendimus. Haud inanem eam esse sententiam, is demum intelliget, qui cogitauerit, maximum pondus aromatum, ad oleum illud collatorum, effecisse myrrham arabicam, quingentis siclis coemendam, cum reliqua sacri olei aromata uix dimidium pretii ponderisque cupiant. Myrrha arabica, oleo diluta, magno intelligentium consensu rubicundi coloris

^{d)} f. 150. col. 2. edit. Venetae 1653.

^{e)} *Sacrorum Eleo-chrismatum Myrothec. II. Cap. LXXXI. p. 727.*

loris speciem prae se fert. Quod satis acute uidit doctissimus MAIMONIDES, qui myrrham illam libere fluentem, quae accuratissime dicitur *סארת*, et ea ipsa est, quae, docente SALMASIO, ^{a)} dicitur *Κεῖρη*, dixit *דם שבהורו הירוע לכל שמתכשמן בה כני אדם בכל מקום Myrrha*, scilicet *sanguis balsami uiui*, i. e. (*סארת*) quod in India est, de qua notum est omnibus, quod ea condiantur homines ubique. Minus commode minusque recte ea uerba reddidit LVDOVICVS DE COMPIEGNE DE VEIL in tractatu *de cultu diuino*: ^{c)} „Myrrha autem ista oportet intelligi concretum sanguinem certae cuiusdam ferae, quae est in India.„ R. MOSES COHEN ad marginem obseruauit: *המור הוא הדם הצרור* א"א אין דעתי מקבלת שיכנסו במעשה הקדש דם שום חיה בעולם כל שכן דם חיה טמאה אבל המור הוא האמור כשיר השירים כאתי לגני אחותי כלה אריתי מורי עם בשמי והוא ממין עשב או ממין אילן וריחו נורף *Myrrha haec, sanguis est. Sed ego dico, nescio ex traditione, quod unquam coniunxerint in opere sacro quicquam sanguinis, quia sanguis animalis uiui pollut, uerum myrrha haec, illa est, de qua dicitur in Cantico V, 1. ueni in hortum meum, soror mea, sponsa, decerpsi myrrham meam, et aromata mea, haec est species plantae, aut species arboris, et odor eius late dispergitur.*

VI

REGES E GENTE DAUIDICA VNCTI QUIDEM SVNT EODEM, QVO PONTIFEX M. OLEO, SED MODO VNCTIONIS DIVERSO.

SI ueterum Hebraeorum dictis in rebus ad illos pertinentibus fides est habenda, quod nemo dabitur, satis apta, et regia maiestate satis digna fuit unctio regum sanguine Dauidico editorum. Republica enim Hebraea

C

in

^{a)} in Solinum Tom. I. p. 545.

^{b)} de Vasis Sanctuarii Cap. I. §. 3.

^{c)} p. 40. edir. Paris. 1678. 4.



in felicitatis suae fastigio constituta, Reges exemplo Salomonis, ^{a)} unctos fuisse perhibent ad fontem Gichonem, siue fontem in monte Gichone, qui ex parte urbis Hierosolymorum occidentali haud procul a monte caluariae situs fuit, et e quo Hiskias ^{b)} praecipuum urbis aquae ductum, maximo sumtu, sed eximio urbis commodo, perfecit. Modum, quo oleum sacrum in fronte Regis fuit diductum, singularissimum quidem, sed regiae dignitati conuenientissimum exponunt, quem traditioni haud contemnendae acceptum ferunt. Oleum scilicet digito ungentis in forma coronae fronti regis illitum fuisse perhibent, interprete MAIMONIDE: ^{c)} מלכי בית דוד מושחין אותם כמין נזר על ראשו לא ימשה במקומות אחרות ולא ירכה בשמן. *Reges domus Dauidicae unguunt per modum coronae in capite, non unguunt aliis locis, nec multum consumunt olei.* Figuram aeri eleganter incisam exhibet FORTVNATVS SCACCHVS ^{d)} in *sacris Eleocharismatibus.*

VII

PONTIFEX M. VNCTVS EST VESTIBVS AVREIS INDVTVS,
CIDARIQVE PONTIFICALI ORNATVS.

LEVIOR haec uideri poterat obseruatio, quam ut digna iudicari queat et examine et demonstratione. At enim uero aliquid causae subest, cur hanc sententiam, ut intactam relinqueremus, a nobis impetrare haud potuimus. Vt enim taceamus, ordinem uerborum in sacro textu, qui exponit de Pontificis unctione, id, ut credamus, praecipere, cum unctio Pontificis non nisi exposita de uestibus induendis cidarique imponenda historia ^{a)} praeci-

a) 1. Reg. I, 33. 34.

b) 2. Paralipomen. XXXII, 30.

c) de Vasis Sanctuarii Cap. I. §. IX.

d) Myrorhecio II. Cap. LXXIX. p. 717. confer uberius hac de re differen-

tem GVIL. SCHICKARDVM in iure regio Hebraeorum Cap. I. Theorem. IV.

p. 71. sequi.

a) Exod. XXIX, 6. 7. 29. Leuit. VIII, 12.

praecipitur; illud potissimum, hanc ut confirmemus sententiam, postulare uideatur, quod antiquitas Hebraea credit, sacerdotem, nisi uestibus indutus sit, a conditione laici nihil differre, ideoque haud haberi sacerdotem, quoad uestibus sacris destituatur. Enumerat MISCCHNAH in Codice de *Sacrificiis*^{b)} eos, qui inepti sint ad ministeria templi, a solis sacerdotibus obcunda, inter quos retulit זר *extraneum*, siue laicum, אונן *sacerdotem lugentem*, יום טובל *lauandum eodem die*, מחוסר בגדים *destitutum uestibus scilicet sacris*. Quae uerba MOSI filio MAIMONIS^{c)} locum dedere explicandi ueterum sententias de uaria sacerdotum conditione, quae haec erat: בזמן שבגדיהו עליהן כהונתן עלירן ורע כי מחוסרי בגדים פסול. *Eo tempore, quo uestes eorum super illis sunt, sacerdotium habent, et scias, quod carens uestibus (sacerdotalibus,) ineptus sit ad ministerium.* Quare si Pontifex M. nisi uestibus ornatus fuerit, in sacerdotum numero non est habitus, satis apte inde colligitur, quod ritus ille maxime sollemnis in Pontifice M. tum demum temporis peragi potuerit, si, eum esse sacerdotem, crederetur ab omnibus. Commodus hic nobis datus uideatur locus emendandi imagines aeri incisas apud SCACCHVM,^{d)} quem ante excitauimus. Has si inspexeris, eas exhibere deprehendes figuram crucis super totum ferme cranium diductam; quam uerissimam illius rei imaginem esse, quo minus crederemus, haec effecit obseruatio. Rectius itaque rem diiudicauit, summus antiquitatum hebraearum interpres, THEODORVS DASSOVIVS,^{e)} qui non solum signum crucis in fronte Pontificis descripsit, uerum etiam caput ipsius cum cidari et cruce pinxit.

b) *Cap. II. §. 1.*

c) *in Commentario in h. l. f. 349. col. 4.*

d) *loc. cit. p. 717.*

e) *in Dissertatione de Signis crucis hebraeae gentis, Vitembergae 1695, cui inserta est figura.*



VIII

VNCTIO PONTIFICIS M. AEQVE AC INAVGVratio PER
VESTES REPETITA EST PER SEPTem DIES HVIC
CELEBRITATI SACROS.

VNCTIONE Pontificis M. cum fere nihil in uniuersa republica fuerit
solemnius et sanctius, mirum uideri nemini potest institutum diuinum,
quo praecipiebatur, ut P. M. septies unctioe, septies uestium sacrarum
initiatione in dignitate sacra confirmaretur. Lege sacra id definitum est *Exod.*
XXIX, 30. 35. Quam ex clarissimorum magistrorum gentis hebraeae sen-
tentia exposuit MAIMONIDES: *a)* כשם שרוכוו כנגדים שבעה כר
משיחה בשמן שבעה יום אחר יום ואם עבר קודם שיתרכה
בכגדים כל שבעה או קודם שימשח כל שבעה עבודתו
כשרה הואיל ונתרכה או נמשח פעם אחת נעשה כהן
גדול לכל דבר. *Sicut inauguratio uestium, ita quoque unctio per oleum*
est septem dierum. Et si ministravit P. M. in templo antequam inauguratus est
uestibus per septem dies singulos, aut antequam unctus est omnibus septem diebus,
ministerium eius est legitimum; quandoquidem inauguratus aut unctus est semel,
factus est Pontifex M. ad omnia. Quae si cui in re manifesta haud sufficere
uideantur, uberioorem eius demonstrationem dabit doctissimus SELDENVS
in libro *de Successione in Pontificatum Hebraeorum.* *b)*


IX

PONTIFEX M. VNCTVS EST PER CRVCEM.

QUANQVAM satis abiecte de unctioe Pontificis M. sentire quosdam
non sine indignatione animaduertem, tantum tamen abfuit, ut illorum
sententiae accederem, ut potius rem omnem accuratius anquirere apud ani-
mum

a) de Vasis Sanctuarii Cap. IV. f. 456. col. 1.

b) Lib. II. Cap. VIII. p. 237.




num constituerem. Rem magni momenti iudicasi, ab uno alteroue homine Iudaeo, eoque inter suos grauissimo, iterum iterumque affirmari, Pontificem M. qui ex mirifico intelligentium Hebraeorum, ipsiusque Scripturae S. consensu, imaginem Messiae prae se tulit, illo eodem signo in munere sanctissimo confirmatum esse, quo Christus tandem, cum, in infelicem arborem actus, sacrificium corporis sui Deo offerret, omnes sacerdotii sanctissimi partes perfectit. Rem magni momenti credidi, a manu Iudaea crucem, qua unctum fuisse perhibent Pontificem suum, depingi. O utinam hi, qui crucem Iesu sua manu pingunt, tandem aliquando aequo animo ferrent, Christum, a maioribus suis in crucem actum, manu Dei coram oculis suis depingi! Rem denique magni momenti existimaui, Iudaeorum doctores uel inuitos calamo et penicillo profiteri, nec Messiam cruci affigendum olim habitum fuisse, nec eidem affixum nunc haberi *Deum ignotum*.

Vt in confirmanda lectissima, quae mihi semper uisa est, Hebraeorum sententia de unctione Pontificis M. per crucem peracta, testimoniis summorum uirorum actatis in Iudaica historia tum antiquioris, tum mediae, tum denique recentioris, ut intelligatur ab omnibus, non heri aut nudius tertius eam rem a Iudaeis credi coepisse, nec ab uno alteroue leuioris ingenii homine, ut aliquid noui dixisse uideretur, temere fuisse excogitatum, sed e documentis historiae Iudaicae fide dignissimis efficiemus, id, quod defendimus, et omni aetate creditum fuisse Iudaeis, et communi omnium consensu ab iis receptum constantissime affirmari. Primo statim loco asseram uerba GEMARAE BABYLONICAE ad codicem de *Excisionibus*, ^{a)} cuius initia ad saeculum a C. N. V. plerumque referuntur, et cui manus a Iudaeis, quam ipsi *Mischnae* statui solet pretium. ^{b)} Quibus perlectis cuius admodum erit perspicuum, id Iudaeos non ex suo ingenio commentos fuisse,

C 3

^{a)} f. 77. b.^{b)} Conf. *Baba Metzia* f. 33. a.



fuisse, sed ex antiquissima traditione a maioribus accepisse. Haec igitur ex GEMARA habe: ת"ר מושחין את המלכים כמין נזר ואת הכהנים כמין כי אמר רב מנשיא כמין כי יוני תני חרא בתחלה מציק שמן על ראשו וא"ה נותן לו שמן בין ריסי עיניו ותני אחריתי בתחלה נותן לו שמן בין ריסי עיניו. Tradunt doctores nostri: ungebant reges in forma CORONAE, et pontifices in forma Chi; dicit Rabbi Menassija: in forma CHI GRAECI. Alia habet traditio, primq effundebat oleum super caput illius, et deinde dabat ipsi oleum inter palpebras oculorum eius; alia uero traditio exponit: primo dabat ipsi oleum inter palpebras oculorum eius, et deinde effundebat ipsi oleum super caput eius. GEMARAM excipiat TOSAPHTHA, ^{c)} alia eaque ultima Talmudis pars, quae eandem fidem, atque auctoritatem, quae GEMARAE tribuitur, inter Iudaeos nacta est.

Ea non solum repetit uerba GEMARAE, sed figuram crucis, qualis S. Andreae fuisse creditur, oculis nostris subiicit: כמו נזר סביב על ראשו כמין כי אות יונית ועשויה כזה X שמציק שמן על ראשו ואחר כן בין ריסי עיניו ומצטרפן כאצבעו ררך הפרחת. Sicut corona (scil. fiebat unctio regis) circa caput eius, secundum speciem CHI (scil. fiebat unctio Pontificis) LITERAE GRAECAE, et modus eius sit secundum hanc figuram X. Ille, qui effundebat oleum super caput eius, postea quoque inter palpebras oculorum illius, coniungebat illud digito suo in fronte. Celeberrimi duumviri, interpretes Talmudis doctissimi idem perhibent. Ita scilicet exposuit MAIMONIDES ad Codicem de Excisionibus: ^{d)} מושחין אותו שיוצקין ממנו על ראשו וציקה ומושחין גבות עיניו כמו כף יונית. שהיא כן והוא שנ' ויצק משמן. Vngunt eum, על ראש אהרון וימשח אותו לקדשו. qui

^{c)} ad Codicem Cheritit f. 77. b. edit. IMMANVELIS BENEVENISTI.

^{d)} f. 379. b. edit. Tridentinae.

qui effundunt de oleo super caput eius effusionem, et unguunt in eminentia oculorum eius sicut CAPH GRAECVM, quod fit secundum illud, quod dicitur: (Leuit. VIII, 12.) et effundat de oleo unktionis in caput Aaronis et ungat eum, ad sanctificandum eum. Haud recedit ab antiqua Historicorum fide OBADIAS de BARTENORA, qui ad eundem locum hac ratione commentatus est: שיוצקים מן השמן על ראשו ומושחין בין גבות עיניו כמין כי יונת ומשיחת המלכים כמין נזר. *Qui effundebant de oleo super caput eius, ungebant quoque inter eminentiam oculorum illius secundum speciem CHI GRAECI, unctio autem regum fiebat in forma coronae.* Antea afferebamus MAIMONIDEM, qui explicabat unktionem Pontificis M. per Caph Graecum. Ne igitur quis credat, quod accidit cuidam, MAIMONIDEM aliam cogitasse figuram, quod eo in loco haud Chi, sed Caph graecum posuerit, adiiciamus uerba ex alio loco petita, quibus se ipsum explicuit MAIMONIDES. Sic enim ille in libro antea laudato de Vasis Sanctuarii *) scripsit: כיצר מושחין את הכהן צק את השמן על ראשו וסך ממנו על גבי עיניו כמין כי יונת כזה. *Quomodo unguunt Pontificem? Effundit oleum super caput illius, et ungit de eo super eminentia oculorum eius secundum speciem CHI GRAECI hoc modo.* Post uerba כזה hoc modo tale spatium [] relictum est, certissimo testimonio, extitisse in MSCto MAIMONIDIS figuram quandam, quae ob penuriam typographiarum illius aetatis accurately characterem exprimi haud poterat. Certe talem requiri uidebant characterem, qualem nullo modo poterant inter omnes hebraicae scripturae typos reperire. Indequae intelligitur, minus commode actum fuisse a typhotheta illo, qui in altera huius libri editione, quae prodiit Venetiis 1574. f. ne spatium relinqueret uacuum, expressit כ. Quare mihi certe non adeo difficilis uisa est conciliatio magistrorum Hebraeorum, e quibus alii per Caph graecum, alii per Gimel graecum,

*) Cap. I. f. 455. a.

cum, unctum fuisse contendunt Pontificem, hi enim sonum literae graecae sibi ignotae secuti sunt. Alii uero, dum Graecam literam *Chi* explicare student, eiusdemque figuram eandem fuisse aut cum χ , aut cum ψ hebraeo existimaverunt, nihil quam crassissimam ignorantiam in lingua graeca prodiderunt, quae omnibus uel doctissimis Iudaeorum magistris communis fuisse uidetur. Ut uno exemplo rem omnem conficiam, huc traham explicationem MAIMONIDIS ac BARTENORAE uocis graecae *ἡλσος*. Docuit codex MENCHOT, *f*) non adducendum fuisse ad libamina uinum sole maturatum, *אין מכיאים אלווסטון ואם מכיא כשר*. *Non afferebant ἡλσος, sed si quis afferret, legitimum fuit.* Uterque eorum infelicissime explicat uocabulum *אלווסטון*. Ambo enim ex ignorantia scribunt, solem in lingua graeca uocari *יוסטון* *Iosson*. Cui igitur mirum uideri poterat, miseros illos homines, quibus non contigerat adire Corinthum, ineptam rei, quam non intelligebant, sibi effinxisse figuram? Nonne absonum foret credere, licuisse uinum in templo offerre *ἡλσος*, quod uterque Talmudis interpretes non affectatus fuerit uim uocis graecae? Verum ita collegit summus ille VITRINGA, *g*) qui rem omnem de unctione Pontificis per crucem ad nugas refert, quod MAIMONIDES, BARTENORA, alii, figuram literae graecae haud affecti fuerint. Non enim, ut ille, moramur ineptam expositionem ABARBANELIS ex Kabbala desumptam, qua rationem huius signi ineptam, quod χ sit initium uocis $\chi\eta\eta$ et uocis $\chi\eta$, reddidit. Sufficit nobis *Chi* Graecum a Iudaeis nominari, et ab omnibus intelligi, Graecorum *Chi* imaginem crucis referre, etsi quidam e Iudaeis eam non intellexerint, eoque maiori fide eos haec omnia ad nos transmisisse colligo, quo minus ob rei per figuram significatae ignorantiam, aut in damnum ueritatis et nostrum, aut in commodum suum aliquid mutare ualuerunt. Et nonne prodit eadem

illa

f) Cap. VIII. §. 6.

g) *Observationum Sacrarum Lib. II. Cap.*

XV. de supplicio crucis Christi olim praedicto et figurato §. XI. p. 461.

illa Iudaeorum ignorantia figurae graecae, nobilem quandam animi eorum simplicitatem atque candorem, qui nihil, nisi quod relatum acceperunt, memoriae prodiderunt, ideoque rem, quam ne satis quidem intellexerunt, cuiusque usum egregium in rem suam expectare haud poterant, eos ex ingenio suo comminisci potuisse, nemo sibi facile persuadebit. Sed ne sententiam suam de cruce in fronte Pontificis M. haud signata statim deseruisse videatur doctissimus VITRINGA, eam alio quodam argumento persequitur, quod scilicet solius MENASSIAE, de quo antea, auctoritate admodum incerta res omnis demonstrari solet. Sed uehementer errauit egregius uir, dum credidit MENASSIAM illum huius sententiae auctorem esse. Hoccine Iudaei affirmant? Denuo inspicias quaeso uerba *Gemaricorum*. Nonne ibi profitentur, a solo MENASSIA accepimus, Pontificem M. unctum fuisse per *Chi*? Ad consensum magistrorum omnium prouocant, magistri, inquit, nostri tradunt, Pontificem ungi per *Chi*, uberioris expositionis causa addunt iudicium MENASSIAE, intelligendum esse *Chi graecum*. Et profecto *Chi* illud Graecorum antiquissimis Iudaeis haud fuisse incognitum, ex alio quodam loco MISCHNAE, colligimus, quae, consentientibus omnibus, multo antiquior est GEMARA, quo affirmatur ^{b)} per *Chi* ungi debuisse lagana. כִּי מוֹשְׁחֵי הַרְקִיקִין כִּמֵּין לַגָּנָא? *Quomodo unguunt lagana? Per figuram Chi*. Non oleo unctionis, qui error est BRAVNII, ⁱ⁾ sed Thecoano. ^{k)} Denique ut omnium fere aetatum magnus in ea re credenda consensus constet, egregium Antiquitatum sacrarum auctorem, ipsique GROTIIO per dilectum, MOSEN KOTZENSEM in partes nostras uocabimus, qui in סִמְנָא תָּרַח כִּיצַר מוֹשְׁחֵי אֵת הַמְּלָכִים כִּמֵּין נֹזֵר וְהַכְּתָנִים בְּתַחֲלָה מוֹצֵק לֹו שְׂמָן עַל רֵאשׁוֹ וְאַחַר כִּךְ נוֹתֵן

D

^{h)} in Codice MENACHOT Cap. VI. §. 3. ^{k)} teste Codice MENACHOT VIII, 3.

ⁱ⁾ in Commentario in Epist. ad Hebraeos ^{l)} Praecepto affirmatiuo CLXVI.

Cap. I. u. 9. p. 90.



נותן שמן בין ריסי עיניו ומוסך באצבעו מזה לזה עד
 שהוא כמין כי יווני. *Tradunt magistri nostri. Quomodo unguunt reges?*
Per modum coronae. Et sacerdotes? Primo effundit ipsi oleum super caput,
postea ducit oleum inter palpebras oculorum illius, et ungit digito suo hinc et
hinc, donec fieret sicut figura Chi graeci. Modo unctionis iam a nobis
 pertractato, duae quaestiones, ut ad eas respondeamus, a nobis requirunt,
 altera, quantum olei in caput Pontificis M. cum ungeretur, profusum sit?
 altera uero, quando desierit ritus ille unctionis in republica Iudaeorum?
 Videri quidem poterat, largius esse effusum sacrum oleum in caput Pontificis,
 si uerba DAVIDIS *Pf. CXXXIII, 2. consulueris, ubi de rara fratrum gratia*
affirmatur, quod ob suauitatem suam similis uideatur oleo, in caput Aaro-
nis effuso, quod desuat in barbam, destilletque in oram uestium eius. Verum
 si *Gemaricorum* ^{m)} dictis fidem habemus, non solum intelligimus, *sparsum*
 omnino fuisse oleo sacro, ne, quod saepius monent Hebraei, nimium in un-
 ctione consumatur olei, sed etiam id, in quo conuenisse dicuntur fratres, gra-
 tia inter se iuncti, cum oleo, iucunde ab iis explicari: ת"ר כשמן הטוב
 על הראש וגו' כמין שתי טיפין מרגליות היו תלניות
 לאהרון בזקנו. *Tradunt magistri nostri, illud quod dicitur Pf. CXXX, 2.*
intelligendum esse: sicut duae guttae, seu margaritae, quae dependebant a barba
Aaronis. Tempus denique, quo defuisse creditur oleum, et unctio eo
 peragenda, a Iosiae temporibus repeti solet. Defuit certe, ex confessione
 omnium, in templo secundo. ⁿ⁾

X

^{m)} ad *Codicem CHERITVT f. 77. b.*

ⁿ⁾ Conf. SELDENVM *de successione in*
Pontificatum Lib. II. Cap. IX. pag.
 244. *Sequ. SCHICKARDVM de Iure*
regio Hebraeorum Cap. I. Theorem.

IV. p. 70. BRAVNIVM in Selectis
sacris Lib. IV. Cap. IX. §. CXXXIX.
 p. 481. *DASSOVIUM in Dissert.*
de Signis crucis gentis hebraeae §.
XVIII. XXV.

P. M. QVI VESTIBVS INAVGV RATVS EST, IVRA CVM
PONTIFICE VNCTO HABVIT COMMVNIA.

SENSIT respublica Iudaeorum interitum haud ita procul abfuturum, perditam aliam post aliam re, e quibus partim propensam Dei in Hebraeos uoluntatem edocebatur, partim uero felicitatis suae laetissimo sensu fruebatur. Nemo ignorat, Iudaeos acerbissime solitos deplorare tristem reipublicae statum; quo propitiatorio, nube ignis, igne sacro in altari holocaustorum, Vrim ac Thummim, ac denique oleo unctionis sacro caruerunt. Quo propius uero Hebraeorum respublica ad Messiae tempora accessit, eo tristiores cultus potissimum sacri conditionem fieri intelligebant omnes. Et uideretur sane haud ineptum de ueritate religionis Christianae testimonium e professione Iudaeorum de statu religionis suae miserrime immutato peti posse. E SOTA^{a)} enim Hebraeorum ingentem numerum rerum ad sacra pertinentium colliges, quas alius post alium e Pontificibus MM. sustulit. His igitur, quas res Hebraeorum perditas dicimus, inde a multis ante C. N. temporibus adnumerabant Iudaei oleum unctionis sacrum. Quo ablato multum splendoris ac dignitatis et a summo Pontifice et ab uniuersa republica recessisse animaduertebant. Caeterum, etsi auctore MAIMONIDE:^{b)} כהן הגדול המשותף unctus Pontifex M. antecederet eum, qui uestibus tantum inauguratus erat, omnia cum Pontifice uncto communia habuit iura Pontifex inauguratus uestibus. Id quod pluribus locis testantur historiarum Iudaicarum grauissimi auctores. E quibus duo praecipua feligemus testimonia. Alterum extat in codice HORATIOH, siue de Documentis Iudicum:^{c)} איזהו המשיח המשותף בשמן המשחה לא המרוכה כגרים

D 2

און

^{a)} Cap. IX. §. 9. ad finem usque totius tractatus.

^{b)} de Vasis sanctuarii Cap. IV. f. 456. col. 1.

^{c)} Cap. III. §. 4. et Cap. II. §. 1.

אין כהן המשיח בשמן המשחה למרוכה כגרים אלא
 פר הכה על כל המצות. *Quisnam est hic, qui dicitur UNCTVS?*
Ille, qui unctus est oleo unctionis, non ille, qui inauguratorus est uestibus. Nul-
lum tamen discrimen intercedebat inter Pontificem unctum oleo unctionis, et inau-
guratum uestibus, nisi in lege de iuueno offerendo pro omnibus praeceptis. Ea-
 dem uerba repetuntur in codice MEGILLAH, siue de Volumine Esther. ^{d)}
 Postrema horum uerborum sententia obseruatu est inprimis digna. Partim
 enim egregium ueritati euangelicae testimonium fert aduersus pontificiorum,
 historiae hebraicae ignarissimorum, commenta, quae, ut sui Pontificis, ab
 Hebraeo diuersissimi, immunitatem ab errore stabiliant, defendere solent.
 Opinantur enim, Pontificem Hebraeorum et fallere et falli nescium fuisse,
 in quo, ut solent, contradicunt et Scripturae S. et monumentis historiae Iu-
 daeorum. Lege Mosaica definitum est sacrificium pro errore Pontificis
 M. oleo unctionis inaugurati. Quae a doctissimis Hebraeorum magistris
 exponuntur de errore, a Pontifice uncto, in explicanda doctrina legis, com-
 missio, si aut populum, ius e Pontifice quaerentem, edocuisset, licitam esse
 rem in sabbatho, quae ex lege pronunciabatur ueita, et id genus alia, aut
 si ipse in obeundo munere sacro non omnibus ministerii sui partibus satis-
 fecisset, ^{e)} offerendus erat iuuenus. Partim uero inde, quod nullum am-
 plius pro errore Pontificis M. offerri posset sacrificium, quod a solo Ponti-
 fice uncto requirebatur, facile colligere poterant Iudaei, quantum decoris
 perdiderint, cum haud amplius talem haberent Pontificem, qualis, ex insti-
 tutione diuina, omnibus muneris sui partibus peragendis par habebatur. Ille
 ne sua quidem expiare poterat peccata, nedum aliorum crimina precibus
 suis ac sacrificiis, pro populo offerendis, tollere posset. Quo plus itaque de
 dignitate atque uirtutibus Pontificis M. inter Hebraeos decedebat, illo potif-
 fimum

^{d)} Cap. I. §. 9.

^{e)} HORAIOTH Cap. II. §. 1. 2.



simum tempore, cum uel idiotae *f)* munus id capēssent, eo grauius desiderium sui in animis hominum excitabat summus ille Pontifex generis humani, qui nullo indigebat piaculo, et qui uno sacrificio omnia omnium hominum crimina expiare poterat.

XI

PONTIFEX MAXIMVS TAM VNCTVS, QVAM
VESTIBVS INAVGV RATVS, IVRA HABVIT
SINGVLARISSIMA.

PROXIMVM est, ut doceam iura Pontificis, cuius unctioem et inaugurationem aliquot locis exposui. Illud igitur, quo nihil maius, nihilque praestantius tribui poterat Pontifici M. primo statim loco pertractabimus. Neminem latet, Pontificem M. ex omnibus, qui res sacras uersabant, unum et solum uno die cuiusuis anni, qui precibus, ieiuniis atque expiationi totius populi sacer erat, ac in decimum mensis Tisri incidebat, in Sanctum Sanctorum ingredi potuisse, teste PAVLO in *Epistola ad Hebraeos Cap. IX, 7.* et MOSE, *Leuitici Cap. XVI.* integro. Dignum est, quod hoc loco studiose obseruetur, Pontificem tenuitatis suae sibi adeo fuisse conscium, ut, cogitata muneris sui grauitate, sibi a lachrymis temperare haud potuerit. *a)* Ingressus est eo die quater, partim ut thuribulum inferret, et suffitum ibi adoleret, atque oraret, partim ut iuueni, pro suo peccato oblato, sanguinem in illud deferret, partim uero, ut hirci, pro populo, eiusque criminibus mactati, sanguinem spargeret, partim denique ut efferret thuribulum atque acerram, antea coram arca relictam. *b)* Eo die, quo ingrediebatur P. M. interiores sanctae aedis partes bis mutabat uestes albas, quibus ornatus eo die incedebat. Mane enim

D 3

fume-

f) IOMA Cap. I. §. 3. 6.

a) IOMA Cap. I. §. 5.

b) MAIMONIDES in tractatu de mini-

sterio diei expiationis Cap. IV. 100,
et DASSOVIVS de Pontificis Hebraeorum summi ingressu in Sanctum Sanctorum §. 8. 9. 10.



fumebat Pelusiacas uestes admodum pretiosas, sexcentis siclis sanctuarii comparandas, uespero uero eas murabat cum Indicis, id est, si Talmudicorum idioma explicueris, Aethiopicis, pretio nongentorum siclorum sanctuarii coemendis. ^{e)}

Alterum, quo praestantior erat omnibus sacerdotibus, illud fuisse constat, quod homo, qui ex improbitate caedem commiserat, et asylum diuinum constitutum petierat, eo egredi ante haud posset, quam Pontifex M. oleo sancto unctus, diem obiisset supremum. *Numer. XXXV, 25.*

Leges de matrimonio Pontificis singulares, exhibentur *Leuit. XXI, 13. 14.* Ob funus nullius hominis, ne illius quidem, quem proxima cognatione attingebat, nisi ob mortuum praecipiti, siue occisum in agro inuentum, polleebatur. ^{d)} Praeterea in luctu ritus sequebatur a consuetudine uulgi diuersissimos, quos tractatus SANHEDRIN ^{e)} hoc ordine exposuit: **מת לו פת אינו יוצא אחר המטה אלא הן נכסין והוא נגלה הן נגלין והוא נכסח ויוצא עמהן עד פתח העיר דבר רבי מאיר רבי יהודה אומר אינו יוצא מן המקדש שנאמר ומן המקדש לא יצא וכשהוא מנחה אחרים דרך כל העם עוברים זה אחר זה והמטונה ממצעו כינו לבין העם וכשהוא מתנחה מאחרים כל העם אומרים לו אנו כפרתך והוא אומר להם תתברכו מן השמים וכשמברין אותו כל העם מסובין על הארץ והוא יושב על הספסל.**
Si moritur illi quidam, non exire solet post feretrum (cum illis, scilicet respil- lonibus, sed post illos) Quando illi se regunt (dum feretrum tollunt) hic nudat caput suum) et intrat in locum ubi funus steterat.) Quoad illi nudati sunt capite (in atrio stant circa funus) ille se regit (non intrat in atrium.) Exit cum illis usque ad portam urbis. Relatio est R. MEIR. Dixit R. IEHVDA: non exire solebat e sanctuario, quod dicitur (Leuit. XXI, 12.) e san- tuario

^{e)} IOMA Cap. III. §. 7. ^{d)} Codex NASIR Cap. VII. §. 1. ^{e)} Cap. II. §. 1.

Etuario ne egrediatur. Quando aliud funus comitabatur, in uia omnis populus incedebat alius post alium, et praefectus sacerdotum in medio eum dicebat inter se, (qui dextram) et populum (qui sinistram occupabat) Si alii funus e propinquis Pontificis comitarentur, omnes ad eum dicebant: Utinam nos te liberare possemus (ab hoc luctu) Et ille dicebat his: Estote benedicti a Deo. Si eum ad prandium adhibent, omnis populus humi sedet, ille sedet in sella. Si uestes ob luctum aut indignationem aliunde perceptam laceraret, mores populi, ipsorumque sacerdotum deserebat, si codici HORATIOH: f) fidem haud denegamus: כהן גדול פורם מלמטה וההריוט מלמעלה P. M. lacerat inferius (ab infima ora uestimenti) Sacerdos uulgaris superius (a summa ora uestium.)

Praestantior quoque uniuerso populo, omnibusque, qui e sacerdotum numero erant, in eo ostendebatur P. M. quod antecederet populum in oblatione sacrificii pro errore suo, si eum populo simul errorem commiserat, ideoque pro illo, et pro hoc, simul offerendus erat iuuenus, quae est sententia doctorum in libro HORATIOH: g) כל המקורש מחכירו קורם את חכירו פר המשיח ופר הערה עומרים פר המשיח קורם חכירו פר המשיח ופר הערה ככל מעשיו. Omne, quod sanctius est altero, antecedit illud. Si iuuenus pro errore Pontificis M. et iuuenus pro errore populi simul stant in atrio, iuuenus uncti antecedit iuuenum populi in omnibus oblationis ritibus. Imo, quod mireris, in luctu offerre poterat Pontifex M. id quod aliis praeter eum sacerdotibus haud licebat, teste eodem libro: h) כהן גדול מקריב אונן ולא אוכל והריוט לא מקריב ולא אוכל. P. M. offert, etiamsi lugeat, offert, sed non comedit de sanctis: Sacerdos uulgaris neque offert, neque comedit.

Bene-

f) Cap. III. §. 5.

g) Cap. III. §. 6.

h) Cap. III. §. 5.



Benedictio solemnis, quam peragebat Pontifex M. a benedictionibus reliquorum sacerdotum, et numero formularum benedicendi, et ritibus in ea obseruandis, et denique uocis grauitate, differebat. Hic enim non solum benedictionum numerum, quae recitari solebant, octo precibus, insuper additis, auxit, sed etiam uarias legis sectiones antea praelegit. ⁱ⁾ Quam splendide benedictio illa a Pontifice M. sit recitata, inde colligimus, quod liber legis, e quo recitandae erant benedictiones, ipsi per uarias sacerdotum manus tradi debuerit. Minister enim legis librum tradebat ei, qui praefectus erat ephemeriae ministranti, hic principi sacerdotum, siue Sagani, hic denique Pontifici M. eum porrigebat. ^{k)} Hic igitur in summo graduum, quibus ad Sanctum iri solebat, constitutus, ^{l)} recitauit benedictiones uoce tam alta, ut creditum sit Iudaeis, in die expiationis uocem eius audiri potuisse Hierichunte, teste codice TAMID: ^{m)} וְשׁ אֹמְרִים אִף קוֹל שֶׁל כֹּהֵן גָּדוֹל כִּשְׁעָה שֶׁהוּא מְזַכֵּיר אֶת הַשֵּׁם בְּיוֹם הַכִּפּוּרִים מִרִּיחוֹ. *Sunt, qui dicunt, etiam uocem Pontificis M. ea hora, qua memorauerit Nomen Dei in die expiationis, fuisse audientes Hierichunte.* Manus denique, dum benedicebat populo, ultra laminam auream, ob reuerentiam nominis Ichouah, huic inscripti, haud eleuabat, reliquis sacerdotibus ultra caput manus suas leuantibus. ⁿ⁾ Denique ut omnibus uirtutibus egregiis, eximiisque dotibus omnes superare uideretur Pontifex M. contendunt Iudaeorum magistri, praestitisse Pontificem M. reliquis sacerdotibus, uirtute, sapientia, pulchritudine et animo forti; cuius sententiae Iudaeorum interpretem dabimus MAIMONIDEM: ^{o)} הָעֵקֶר אֲצִלְנוּ כִּי כֹהֵן גָּדוֹל צְרוּךְ שְׁלֵא יִהְיֶה וּבְאִשְׁמֹנֵי וּבְיוֹשֵׁי

i) SOTA Cap. VII. §. 7.

k) eodem loco.

l) TAMID Cap. VII. §. 2. R. IEHVDA LEO *de templo Hierosoly. mirano* Lib. II. Cap. XXI. p. 124.

SIRACIDES L, 22. LVC. I, 22.

m) Cap. III. §. 8.

n) SOTA Cap. VII. §. 6.

o) in *Commentario ad Codicem IOMA* Cap. I. §. 3. f. 90. b. edit. Tridentinae.



וכיפי וכעושר וככח *Articulus fidei apud nos est, quod necessario requiratur in sacerdote magno, ut non sit in uiris actatis suae sacerdotibus reliquis, qui perfectior sit illo, sapientia, fide, pulchritudine, diuitiis, et fortitudine. Quae omnia si in Christum, tuum et totius terrarum orbis Pontificem M. omnibus numeris absolutissimum, transfuleris, haud pauca in doctrina de Pontifice M. et Christo, inter sese conferendis, capita, quae ab Apostolis proponuntur, illustrari posse, facile concedes.*

XII

PONTIFEX M. SYNEDRIO MAGNO OBEDIENS FUIT
ATQVE SVBIECTVS.

MAGNVS sane locus est, et a Pontificiis diu multumque uexatus, de immunitate Pontificis Romani a legibus et potestate principum. Nihil uehementius appetunt, quam ut demonstrare possent, iure diuino Pontificem M. Veteris Testamenti liberum a summarum potestatum arbitrio pronunciarī. Solemne igitur illis est, ubi deesse sciunt literarum et historiae auctoritatem, fingere, sua solum legere, sua solum amare, caeteros incognita causa condemnare. Accidit hoc uiro cuidam inter illos, qui in hac literarum parte doctior illis omnibus haberi poterat, FORTVNATO SCACCHO, in quo exemplum cepimus, nihil tam perspicuum esse, quod non a pontificio, iugi patientissimo uiro, ut orthodoxiae laude inter suos habeatur conspicuus, negari possit. Quam igitur de pontifice suo principe concepit opinionem, strenue defendit. Scribit enim, cuius, si recta secum reputasset uia, scripti eum procul dubio poenituisset, ^{a)} *primariam, summam, absolutamque potestatem, etiam supra regem, Pontifici Israhelico in quocunque genere causarum a Deo concessam agnouimus. Apertiora sunt, quae habentur capite XVII. Numerorum, in quo nisi quis coecutire uelit, ex ui legis a Deo Israhelitis traditae,*

E

intel-

a) l. c. Myrothecio III. Cap. L. p. 1067.



intelliget summi sacerdotis superioritatem ac eminentiam supra principem. Omitto reliqua. Rifum tenere haud potui, cum legerem, uirum doctissimum inopia argumentorum pro indocta sententia, eo fuisse redactum, ut inde auctoritatem dictis suis conciliaret, quod pro peccato pontificis iuuenicus, maius animal, uerum pro peccato regis hircus, minus animal offerri debuerit, indeque maiorem minoremue personarum dignitatem colligeret. Reliqua, quae in medium protulit, nihil probant, quam id, quod nemo negat, in causa legis decidenda summum quoque magistratum sacerdotes, nequaquam solum pontificem, sed uniuersum sacerdotum collegium adire debuisse. Sed age, afferamus iam doctissimorum Hebraeorum sententias, quibus sine negotio conficitur, Pontificem quoque Maximum synedrio magno dicto audientem fuisse. Vberrimam huius rei demonstrationem praebet tractatus SANHEDRIN, ubi diuersis locis Pontificem M. auctoritati synedrii subiecit docetur. Vtar iisdem, quibus auctores Talmudis, uerbis: *ב) און רנין לא את השבט ולא את נכוח השקר ולא את כהן גדול רן ורנין אוחו מעיר ומעירין אוחו. Pontifex M. iudicat, et cum iudicant; ipse testimonium fert, (tantum in causa regia) et de eo ferunt testimonium.* Sed quis est, quaeso, qui iudicat Pontificem? Synedrium. *און רנין לא את השבט ולא את נכוח השקר ולא את כהן גדול רן ורנין אוחו מעיר ומעירין אוחו. Non iudicant neque integram tribum, neque prophetam mendacii, neque PONTIFICEM MAXIMUM, nisi in conclauis iudicii septuaginta uirorum et unius.*

XIII

PONTIFEX M. OLEO RVBICVNDO PER CRVCEM VNCTVS,
 VMBRA FVIT SANCTISSIMI PONTIFICIS VNIVERSI
 GENERIS HVMANI, IESV CHRISTI.

POTERAM quidem post doctissimorum uirorum egregios labores, quos in asserenda sententia de typo, quem Pontifex M. de Iesu exhibuisse creditur, consumserunt, otio frui, nisi negligentiae notam metuissim, quam e silentio in loco tam commodo me contracturum fore existimabam. Pauca itaque afferam, quae etsi haud noua, tamen satis recta fatisque pia iudicabuntur. Primum, in quo imaginem Iesu in Pontifice M. deprehendisse mihi uisus sum, illud est, quod Pontifex M. nomen Christi ab unctione, saepius in sacris literis gerat. Utque sine sacrarum literarum praesidio nihil in hac

b) Cap. II. §. 1.

c) Eodem loco Cap. I. §. 5.

re affirmari uideatur, unum saltem excitabo locum, qui legitur *1. Sam. XII, 3. 5.* ubi Pontifex M. bis dicitur *יהוה יהוה*, a septuaginta Interpretibus *Χειρὸς τῆς Κρυφῆς*. Deinde nihil aptius dici existimo, quam id, quod antea proposui, signum crucis in fronte Pontificis M. exhibuisse aptissimam Iesu figuram. Cur enim unctus fuit Pontifex? ut publice declararetur omnibus, hunc esse illum, qui effusione sanguinis uariorum animalium populum cum Deo reconcilare debeat. Cur unctus est per crucem? ut significaret, perfectissimum sacrificium a Iesu, Deo in cruce esse offerendum. *Ebr. X, 10.* Christus enim in carne sua a nemine unctus esse legitur, nisi eo tempore, quo summi sacerdotii sui partibus satisfacere uellet. *Matth. XXVI, 7.* Unctus uero dicitur antea, ideoque in typo suo, id est in Pontifice, ut unctus esse credatur, necesse est. Pontifex enim non propter seipsum, sed propter Christum unctus est. Dicitur uero diuinitus unctus oleo laetitiae maiorem in modum, quam omnes Pontifices ac Reges, *Psalmo XLV, 8. Hebr. I, 8. 9.* A DANIELE *Cap. IX, 24.* tempus definitur, quo ungi debeat SANCTISSIMVS, siue, quo sanctissimus, optimus maximus Pontifex in locum minus sancti minusque perfecti substitui debeat, quo loco manifeste peritur ritus unctionis in Pontifice peractus, tanquam imago constitutionis Iesu in sacerdotium sempiternum. Et quid Christiano homini iucundius esse poterat eo, de Pontifice M. ab ipsis Iudaeis olim creditum fuisse, eum habuisse FILIVM DEI aduocatum apud Deum. Idque constat ex PHILONE ^{a)} *ἀναγκαῖον γὰρ ἦν τὸν ἱερωμένον τῷ τῆ νόστιμ πατρὶ, παρακλήτω χεῖρῶν τελευτάτω τὴν ἀρετὴν υἱῶ, πρὸς τὴ ἀμνησίαν ἀμαρτημάτων.*


Pontifex M. sanctum sanctorum ingressurus lachrymas fudit: Christus cum per crucem in sanctum sanctorum, nulla manu hominis extractum, ingredi pararet, sacrificium suum obtulit cum lachrymis, *Ebr. V, 7.* Pontifex M. expiationis die bis mutauit uestes. Idem accidit Iesu in sanctum ingresso, *Marth. XXVII, 28. 31.* Solus Pontifex M. in luctu offerre potuit. Iesus in grauissimo corporis sui mortisque suae luctu obtulit. In solemnissimo expiationis die Pontifex M. deprecatus est pro populo apud Deum, et alta uoce in edito loco benedixit populo, qui ultimus fuit actus diei expiationis, quo placatum esse Deum significauit. Christus in die carnis suae graui clamore, *Ebr. V, 7.* sacrificium Deo dedit, et alta uoce in cruce edita, *Luc.*

a) *De uita Moysi Lib. III. p. 673.*



XXIII, 46. *Matth. XXVII, 50.* ad quam ipsi gentiles obstupuerunt, *Matth. XXVII, 54.* omne opus summi sacerdotii sui peractum esse significauit. In Pontifice M. Ver. Test. requirebatur, ut esset sapientissimus ac fidissimus. Iesus fidus est Pontifex M. noster coram Deo. *Hebr. 11, 17.* Pulchritudo Pontificem M. Hebraeorum commendabat. Et Iesus iam in Vet. Test. creditus est omnium hominum pulcherrimus. *Psal. XLV, 3.* Pontifex M. separatus a fratribus suis, iisque maior esse debuit. Iesus separatus est a peccatoribus, et uel ipso coelo maior. *Hebr. VII, 26.* Diuitiis abundare debuit Pontifex M. Celebramus in Christo diuitias gratiae amplissimas cum Apostolo, *Ephes. 1, 7. II, 7.* Fortitudine superare debuit reliquos Pontifex M. Summus humani generis Pontifex Iesus, fortissimus ille est leo de tribu Iuda, qui uicit. *Apocal. V, 1.* Ut denique constet, ab ipsis Iudaeis creditum fuisse, ius illud praecipuum, quo uetabatur homicida ex asylo egredi ante obitum Pontificis, huic competiisse, ob typum Iesu, quem gessit, excitabimus PHILONEM, ^{b)} ita de hac re differentem, ut ipse, qualis Pontifex M. ex lege diuina significatur, publice, in commodum nostrum, profiteatur: Λέγομεν γάρ, τὸν ἀρχιερέα ἐν ἀνθρώπων, ἀλλὰ λόγον Θεῶν εἶναι, πάντων ἔχ' ἐκείνων μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀνεπίων ἀδικημάτων ἀμέτοχον. - - Καὶ διότι τὴν κεφαλὴν κέχρισται ἐλαίῳ. Immortalis Pontifex M. IESV, perdas inimicorum cruci tuae nomen, et indies auge multitudinem hominum, cruci tuae amicissimorum.

b) *De Profugis pag. 466.*



Aug VI 57 (1)

ULB Halle

003 711 420


3



TA 70L
nur 4. Stk verknüpft

Revo





70

DE
VNCTIONE PONTIFICIS M.
HEBRAEORVM
PER CRUCEM

PRAESIDE
FRIDERICO IMMANVELE
SCHWARZIO

A. M. ET FACVLTATIS PHILOSOPHICAE ADIVNCTO
ORDINARIO

AD DIEM XXX. AVGVSTI MDCCLV.

IN
AVDITORIO MAIORI
PVBELICE DISPVTABIT
IOANNES AVGVSTVS KVNERT
KRIBENSTEINIO - MISNICVS
SS. THEOL. STUDIOVS



VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA